



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117859**

§.19. Alcuini Opera.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

Sæcul. VIII.

A.C. 800.

Theodulfus tunc temporis Episcopus Aurelianensis non ultimo loco inter Restauratores Litterarum ponendus in suo Capitulari de duplici genere Scholarum mentionem facit, de minoribus pro infantibus, quas habere quilibet Parochus in sua Parochia tenebatur, & de majoribus, ad instruendos Clericos in diversis locis, nempe in Ecclesia Cathedrali S. Crucis, & in multis Monasteriis, præsertim S. Aniani Aurelianensis, S. Benedicti ad Ligerim, & S. Lifardi Medunensis. Alia Monasteria, in quibus Scholæ præ ceteris florebant, erant Corbejense, Fontanellense, Prumiense, Fuldense, S. Gallense, S. Dionysii, & S. Germani Parisiis, S. Germani Antissiodori, Ferrariense, Anianense, & in Italia Montis-Casini. Superius meminimus Regem Carolum jam anno 789. præcepisse, ut in omnibus Episcopatibus & Monasteriis Scholæ instituerentur. Sæpe id ipsum novis mandatis inculcavit, & in Capitulari Theodonis Villæ anno 805. præter alia etiam studium Medicinæ nonnegligendum suadet.

*Cap. Aquisg.**c. 70.**Sup. Lib.**XLIV. §. 45**p. 421. to. I.**cap.*

## §. XIX.

*Alcuini Opera.**p. 1246.*

Ex Alcuini Scriptis quis Litterarum Status illa ætate fuerit cognosci potest. Primo occurrit parvus Tractatus de

de septem Artibus Liberalibus, qui ex <sup>Sæcul. VIII.</sup> Cassiodoro excerptus videtur. Artes <sup>A.C. 800.</sup>

vero in hunc modum dividebantur; prima erat Grammatica, tum Rhetorica, Dialectica, & Mathematica in quatuor partes scissa, videlicet, Arithmeticam, Musicam, Geometriam, Astronomiam. Alcuinus ampliolem de Grammatica Tractatum composuit, & ex una Epistolarum ejus ad Regem Carolum videmus, quantum ei cordi fuerit Orthographiam emendare, Grammaticæ fundamentum, quam duorum ultimorum Sæculorum Barbaries ferme oblivioni tradiderat. Tractatum quoque de Rhetorica & alterum de Dialectica, ubi se ipsum & Carolum Regem colloquentes inducit, concinnavit. At pleraque ex ipsius Operibus sunt explanationes S. Scripturæ & Tractatus Theologici.

In omnibus ejus Operibus plus laboris quam ingenii apparet, & ipsum magis memoria quam vi res inveniendi aut deligendi valuisse; nam tota licet Grammatica sua, Rhetorica & Dialectica instructus nec terse tamen nec eleganter latine loquitur. Stilus ejus verbis inutilibus scatet, ornatus nimium solícite quæsitus, res ipsæ, quas affert, sunt vulgares, & argumenta sæpe non satis stringunt. Verum hæc vitia omnibus illius ævi Scriptoribus communia sunt. Nihil

**Sæcul. VIII.** hil ipsi invenerunt, sed quæ illis tempo-  
**A.C. 800.** ribus gesta sunt, enarrant. Illud vero  
 omnino Laude dignum, quod Traditio-  
 nem sanæ Doctrinæ in Ecclesia conserva-  
 verint, & bonos Antiquitatis Sacræ &  
 profanæ libros custodierint, quos hodie  
 desideraremus, nisi eos solícite collegis-  
 sent, & Exemplarium numerum auxi-  
 sent. Ultimo certe loco ponenda sunt  
 Scriptorum illius mediæ ævi poemata.  
 Plerique hanc artem sola verificatione  
 absolvi putabant, eorumque versus nihil  
 aliud sunt, quam prosa ligata, & dictio  
 sæpe humilior, quam illa, qua in ora-  
 tione soluta uti solemus, quia nempe  
 verba qualiacunque in versus mensuram  
 cogebant.

In Epistolis Alcuini non nulla legun-  
 tur ad Disciplinam Ecclesiasticam spe-  
 ctantia, quæ referre operæ pretium est.

*ep. 6.* Locum illum de duobus gladiis, quorum

*Luc. 22. 23.*

in Evangelio mentio fit, explicat in sen-  
 su allegorico, sed eum ad significandas  
 duas Potestates Sæcularem & Spiritua-  
 lem, quod postea factum, non trahit.

*ep. 7.*

Regem Carolum hortatur, ut Saxonum  
 conversorum & Hunnorum nuper devi-  
 ctorum curam gereret, sub ista Conver-  
 sionis initia ad dandas Ecclesiæ Decimas  
 non adigeret, & pro modo a S. Augu-  
 stino præscripto, antequam baptizarentur,  
 Catechumenos fidem exacte edoceri ju-  
 beret.

beret. Iterum de Baptismo differit in Sæcul. VIII.  
A. C. 800.  
 Epistola ad Paulinum Aquilejensem, ubi  
 reprehendit Hispanorum ritum, quod se-  
 mel tantum baptizandos immergerent,  
 aut ad tres immersiones omnes trium  
 Personarum Trinitatis Nomina repe-  
 rent. Quippe Ecclesiæ Catholicæ Ri-  
 tus erat, unam tantum ex Personis Di-  
 vinis ad singulas immersiones nominare.  
 In illa Epistola etiam illos arguit, qui du-  
 bitabant, an animæ Sanctorum in Cœleste  
 Regnum ante diem Judicii reciperentur.  
 Item de Baptismo scribens ad Presbyte-  
 rum nomine Odwinum, & ad Fratres  
 Ecclesiæ Lugdunensis fusissime hujus Sa-  
 cramenti præparationem & administra-  
 tionem exponit, subjungit Evcharistiam  
 & postremo Confirmationem, nullam de  
 aliqua Unctione mentionem faciens.

ep. 81.

p. 1150.

ep. 69. 70.

In eadem Epistola reprehendit illos,  
 qui Sancto Sacrificio sal immiscebant. In  
 alia Epistola ad Fratres Provinciæ Go-  
 thorum directa demonstrat necessitatem  
 confitendi Presbyteris peccata sua, at-  
 que adolescentes Scholæ S. Martini, ut  
 confiteantur, exhortatur. Tandem in-  
 terrogante Rege Carolo cur tres Domi-  
 nicæ Quadragesimam præcedentes Se-  
 ptuagesima, Sexagesima & Quinquagesi-  
 ma dicerentur, hujus rei rationem affer-  
 re conatur. Hæc notatu præ ceteris

ep. 71.

p. 1142. &

ep. 2.

*Hist. Ecclesiast. Tom. X.* R r di- *Boll. to. 15.*  
 p. 334.

Sæcul. VIII. digna in Operibus Alcuini. Obiit an-  
 A. C. 800. no 804. in Die Pentecostes 19. Maji.

*Mabill. to. 5.*  
*p. 707.*

§. XX.

*Papa Causam defendit.*

*Ann. Egin.* *Fuld. Loifel.* Cum Rex Carolus anno octingentesimo  
 in Italiam contenderet, Leonem Pa-  
 pam usque Nomentum, quod duodecim  
 millibus seu quatuor Leucis Roma di-  
 stabat, obviam sibi procedentem hono-  
 rifice excepit, & postquam ambo coenae-  
 sent, Romam rediit Pontifex, quo alte-  
 ra die Rex pervenit. Venientem Papa  
 stans in gradibus Ecclesiæ S. Petri cum  
 multis Episcopis & omnibus Clericis suis  
 præstolabatur. Tum de equo descen-  
 dens Rex lætis acclamationibus excipi-  
 tur, & inter cantus Gratiarum actionis  
 in Ecclesiam deducitur. Erat dies vige-  
 sima quarta Nov. cum Rex Carolus Ur-  
 bem quarto intraret.

Post dies septem Rex populo ad Con-  
 cionem convocato, causas, quæ se ad  
 profectionem Romanam suscipiendam  
 permovissent, publice exposuit, iisque  
 expediendis sequentes dies omnes im-  
 pendit. Initium duxit a Causa majore  
 & difficiliore scilicet ab examine Actionis  
 contra Pontificem motæ. Itaque Epi-  
 scopis, Abbatibus, omnibus Francorum  
 Romanorumque Proceribus Rege jubente  
 in Ecclesia S. Petri congregatis, Rege  
 &

*Anast. in  
 Leon.*